

F.K.
119,
9a

(x 188 2588)

II n
547

PANNONIAM SUPPRESSAM ET RESTI- TUTAM,

Sive

Præcipuas Pannoniæ Mutationes,
Felicemq; per recentes Victorias Restitutionem

Die XII Decembris

An. O. R. M. DC. XCVII.

H. L. Q. C.

IN GYMNASIO WRATISLAVIENSIVM ELISABETANO
IN ACTU DRAMATICO

exhibebit

Gottlob Grantz

Hist. Eloq. & Phys. PROF. & BIBLIOTHECARIUS.



VRATISLAVIÆ,
In Officina BAUMANNIANA Typis exprimebat
JOHANNES GÜNTHERUS ROERERUS,
Typographeus Præfectus.



Inter obsoleta rubiginosæ vetustatis monumenta verfabamur, & ad antiqva Philosophorum dogmata attenti, post Academiam Platonis, & Epicuri hortos dramatico labore Juventuti nostræ exhibitos Porticum Zenonis adire, & Analecta Stoicæ Sapientiæ colligere parati eramus, cum lætus in Urbe nostra plausus, repetitus tormentorum sclopetorumq; fragor, & svavis triumphum canentium è turribus harmonia laboris nostri circulos turbarent, & ad nova potius, quibusvis Antiquorum honoribus illustriora attendere juberent. Ignavum scilicet, & nostris moribus inconueniens videbatur, publicis orbis Christiani gaudiis mentem subtrahere, tristi veterum sapientiæ unice dicatam; &, dum prudentior hominum cætus admiranda Divini Favoris beneficia, & lætissimos Summi Principis triumphos magnifico plausu excipit, sese inutilibus forsitan dubiæ antiquitatis cineribus involvere. Quæ ineptia esset, remotos ab ætate nostrâ Sapientum verâ sapientiâ destitorum morès sollicitè indagare, & rubigine confusa rerum olim notabilium fragmenta eruere, & interea res nostri temporis omni ævo memorabiles, tot Regna, tot hominum myriades tristi Barbarorum jugo subtractas, tot illustria stupendæ fortitudinis specimina, & novissimè Tibiscum Turcorum sanguine rubentem, injectaq; cadaverum copiâ cursu ferè impeditum, obnubilatis vetusto pulvere oculis negligere? Tantæ sunt nostri temporis Victoriæ, tanta Augustissimi Victoris armorum felicitas, tanti Christianorum progressus, ut mentem nostram novis triumphorum spectaculis excitatam, vel unquam magni fecisse Antiquorum notabilia pœniteat. Dum verò cito quasi pede per antiquorum campos ad recentia consideranda festinamus, non sine jucundâ mentis delectatione observamus, vix quicquam splendoris antiqva secula exhibuisse, quod non illustriori sorte repetitum ævi nostri felicitas possideat. Si in eo regno, quod hætenus tot LEOPOLDI M. trophæis ornatum compedes pristinæ servitutis abjecit, admiratione suspensi paululum moramur, quid quæso erit à Romanorum olim fortitudine sive lapidum, sive Nummorum duraturæ memoriæ impressum, quod non feliciori longè & certiori jure tempus nostrum sibi vindicet? Cernimus inter Constantini M. Nummos hispidi senis effigiem, super hydriam effusasq; aqvas quiescentem, qui, ut inscriptio docet, Danubium significat, addito fornicati operis ponte subactum, in quo victoria accelerans, & Martem Gradivum, fortitudinis & Victoriarum, (ut prisca superstitio credebat,) Autorem post terga secum habens, Pannoniam in genua procumbentem erigit, eiq; hoc, quod inscriptio offert, tribuit, Salutem scilicet Reipublicæ. Quâ quæso imagine commodius felix nostro tempore Pannoniæ restitutio adumbrari posset? Fluxit hætenus Danubius, jugo servitutis pressus, in spem prisce honoris; & circa eum misera Pannonia vi hostium prostrata jacuit; nunc accedens LEOPOLDI M. Victoria multiplex, felici armorum cursu parta, Pannoniam erigit, Danubioq; squalore quasi deterso pristinum vigorem restituit. Ad nostra potius, quam ad Trajani Decii ævum quadrat concordiæ symbolum, quo Pannoniæ duæ, superior & inferior, ad militare signum amicas manûs jungunt; sub felicibus enim Magni Victoris nostri signis, hostili impetu omni sublato utraq; Pannonia Christo restituta ad prisce animorum consensum se componit. Et, nonne feliciori omine hodie Maximi Patris & totius Populi consensu Pannoniæ Curia JOSEPHI, quam olim per Senatus-Consultum, Ælii constitutæ sunt? Sedet in Nummo L. Ælius Cæsar, Parazonio, Imperantium telo, instructus, adoptivus Hadriani Filius, Vir comtus, decorus, pulchritudinis regiæ, oris veneran-

venerandi, celsioris Eloquentiæ, utilis Reipublicæ, vitæ lætissimæ, bonisq;
literis præditus, (ut Spartiani calamo melius, quam artificis cælo exprimi-
tur,) eiq; Pannonia adstant Palladium, hoc est, omnem Salutem suam tribu-
it, ipsa sub hujus auspiciis cornu copiæ, id est, omni felicitum rerum abun-
dantiâ prædita. O, quam jucundo rerum successu hæc omnia nostri tempo-
ris felicitate superantur! Admirationem orbis auget tam Animi, quam Cor-
poris in JOSEPHO, Principe Juventutis, Virtus, nec Spartiani, nec nostro
stylo satis adumbranda, quæ felicibus augmentis omne, quod Ælio deerat,
supplevit, Pannoniæq; felicitatem, nulli status veteris prosperitati comparan-
dam, ad summa perduxit. In caducum parietem Hadrianus, ut propter te-
neram Ælii valetudinem querebatur, sese inclinaverat; sed Magnus noster
LEOPOLDUS, non in adoptivum, sed genuinum Paterni sanguinis &
Virtutum hæredem, lætissimo Animi corporisq; robore valentem, spem suam
felicitatemq; transfert, cui ut nunquam vel ullus absolutæ prosperitatis defe-
ctus noceat, omnes pii nobiscum votis precibusq; exoptant. Hæc & alia
Pannoniæ feliciter restitutæ fata, dum nos in admirationem sui rapiebant,
dignissima videbantur, quæ Juventuti nostræ quam rerum in orbe gestarum
notitiâ imbuere debemus, sub dramatico schemate accuratius consideranda
sisterentur, quo illa tam Summum in Cælis NUMEN, omnis boni Largito-
rem, devotâ adoratione, quam Magnos Principes, prosperitatis nostræ &
Pannonicæ restitutores humili & obsequiosâ reverentiâ venerari discat. Ut
autem illustris illa temporum reparatio contrariorum oppositione clarior eva-
dat, placuit eadem, quæ ante paucos annos, Methodo Italiæ & Græciæ a Bar-
baris suppressionem exhibuimus, jam Pannoniæ mutationes, variasq; in eam
crudelium populorum irruptiones sistere, sicq; per miseras provinciæ hujus
ruinas ad hodiernam restitutionem progredi. Nihil autem, (si immixta po-
ëtico stylo licentiâq; interscena symbolica excipias) neq; rerum, neq; perso-
narum finimus, sed, a Comitorum quamvis Regulis abeuntes, ad quos
neq; loci, neq; officii ratio nos adstringere videtur, historicæ veritati ex genui-
nis fontibus haustæ nos adstrinximus. Primus post prolegomena poëtica in-
troitus, (quem Anno à Christo nato CCCLXXX factum fingimus,) Pannoniæ
à Romanis subactionem, Gentiumq; Vandalicæ & Gothicæ in eâ habitationem
& tumultus ex Vellejo Paterculo, Svetonio, Dione Cassio, Treb. Pollione, Eu-
tropio, Ammiano Marcell. Zosimo, Jornande, & Paulo Warnefrido exhibe-
bit, colloquentibus D. Mag. Aufonio, Poëtâ notissimo, tum quidem Procon-
sule Asiæ; Safrach, Duce Colonia Gothorum, concedente Gratiano in Pan-
noniam ductæ, à Jornande citato, & Stilicone Vandalo, tum quidem Juvene,
demum sub Honorio totius Imperii potentissimo Moderatore. In Introitu
sequenti ad An. CCCCLXXII spectante, Gunthigis, Gothicus Militum Ma-
gister, à Jornande inter Majores suos relatus, Priscus & Malchus, Historici
duo Eruditis non ignoti, & Esia Hunnus, inter Attilæ Ministros à Prisco me-
moratus, latum Hunnorum Imperium & Aulam Attilæ ex Ammiano Mar-
cellino, Hieronymo, Prisci Rhetoris fragmentis inter Excerpta Legationum
comprehensis, Orofio & Jornande, exponent. Proximo, in annum
DCCXCVI. collocato, à Flacco Alcuino, tum Scholæ Palatinæ, Sacrisq; Con-
siliis in Aulâ Caroli M. præfecto, Leidrado, Caroli M. tum quidem Bibliothe-
cario, post Archi-Episcopo Lugdunensi, Magofrido, Cubiculi Præfecto, &
Zotan, Avarico Provinciæ Rectore, Res Avarum sub Caganis suis, & mira
Gentis per Carolum M. suppressione, ex Evagrio, Menandri Protectoris fra-
gmentis inter Legationum Excerpta inveniendis, Theophylacto Simocattâ,
Nicephoro Cptano, Warnefrido, Eginhardo & Joh. Aventino declarabuntur.
Sequens Introitus quem An. MCCXLIII. factum fingimus, Petrum de Vineis,
Cancel-

547

Cancellarium Friderici II. Bartholomæum JCrum Brixianum, Viros eo tempore celeberrimos, & M. Rogerium, cujus Epistola in miserabile carmen super destructione Regni Hungariæ, (ut ipse vocat) inter Scriptores Pannonicos habetur, de Hungarorum irruptione, Chunnorum Adventu, & Tartaricâ vastatione ex Rheginone Prumiensi, Luitbrando Ticinensi, Wittechindo, Ditmaro Merseburg. Hermanno Contracto, Sigeberto Gembl. & præcipue ipso Rogerio, differentes exhibebit. Tandem ad Annum MDLXXI. Turcicam suppressionem declaraturi, Laz. Schwendium, L. B. de Hohenlandsberg, Heroëm incomparabilem, togâ sagoqve inclytum, Augerium Gislenium Busbequium, celeberrimum ad Turcas Legatum, Joh. Sambucum, Medicum & Historicum Cæs. & Joh. Leonclajum, Viros de Civili & erudito orbe meritisimos producemus, compendiosissime rei seriem ex Joh. Turocio, Petro Rewa, Æneâ Sylvio, Ant. Bonfinio, Joh. Leonclajo, aliisq; exposituros. Hunc nostrum Juventutisq; fidei nostræ creditæ Laborem, tumultuarium, (quod fateri cogimur) inter mille impedimenta opus, ut Vos, Bonarum Litterarum Mæcenates Summi, Fautores Benevoli, Assertores Egregii, horâ craftini diei consvetâ præsentia vestrâ æstumatissimâ dignari, eiq; Favore vestro pretium quoddam, quo ex propriis meritis destituitur, addere velitis, eâ quâ par est humilitate & observantiâ rogamus. Si labor ipse laudem nullam merebitur, non tamen profus, sic speramus, displicebit Beneficiorum à DEO concessorum commemoratio, nostrerq; Juventutis in re historicâ erudiendæ conatus. P. P. Wratislaviæ, die XI. Decembris, Anno O. R. M. DC. XCVII.

Prodibunt:

- I. Pannonia, (Georg. Frid. Meusel / Wrät.) respondente Vigore (Christ. Müller / Schlichtingsh. Pol.) Statum suum tristi cantu deplorans, quam Europa (Georg. Wenz. Pohl / Wrät.) Comitibus Pace (Ernst Christ. Hudrig / Wrät.) & Justitiâ (Sigism. Schulze / Wrät.) expensâ prius novâ pace, pristinarum cladum memoriam tolerare jubebit.
- II. D. Mag. Ausonius (Joh. Jac. Sommer / Lign.) Safrach (Georg. Christ. Wabst / Wrät.) & Stilico (Joh. Gottlieb Milch / Schvidn.) de primo Pannoniæ sub Romanis Gothis & Vandalis statu acturi.
- III. Pannonia Concordiæ (Wils. Balch. à Sebisch /) solatiis erecta, sed à Terrore (Henr. Strenck / Bilic.) Crudelitate (Adam. Sigism. Heinke / Sorav. Lus.) & Vastatione (Fridr. Ernst Scholze / Olsn.) exagitata.
- IV. Gunthigis (Joh. Christoph. Adtelmayer / Wrät.) Malchus Sophista (Joh. Dav. Raschke / Wr.) Priscus Rhetor (Gottfr. Hön / Wrät.) & Esla (Christoph. Ferd. Ramper / Wrät.) Hunnorum irruptionem, Regnumq; Attilæ declaraturi.
- V. Spes (Casp. Gottlieb Neumann / Wrät.) pacem frustra quærens, rejecta à Timore (Carl Ferd. Tenczin de Paczensky.)
- VI. Flaccus Alcuinus (Joh. Bartsch / Wrät.) Leidradus (Joh. Christoph. Ortlob / Wrät.) Magofridus, (Georg. Dan. Steyer / Wrät.) & Zotan (Abrah. Gottlieb Hermann / Olsn.) de Avarum in Pannoniâ gestis, Gentisq; per Carolum M. suppressione locuturi.
- VII. Innocentia (Joh. Frid. Burg / Wrät.) exagitanda à Furore (Christoph. Ernst Freudenberg / Wrät.)
- VIII. Petrus de Vineis (Christ. Baumgart / Wrät.) Barth. Brixianus (Georg. Gottlieb Händschky / Sorav. Lus.) & Rogerius, (Gottlob Burghart / Nimic.) de misera vastatione Tartaricâ, & Hungarorum, Chunnorumq; adventu dicturi.
- IX. Plaga Orientalis (Gustav. Frid. Franc. L. B. de Bludovusky.) ad perdendum Occidentem progrediens, instructa à Dolo (Joh. Polike / Wrät.) Injustitiâ, (Joh. Benj. Löwe / Strelens.) & Superstitione (Casp. Sigism. Keymann / Probsthayn.)
- X. Laz. Schwendius (Christoph. Gottlieb à Sebisch.) Aug. Gisl. Busbequius (Carl Sam. à Jordan.) Joh. Sambucus (Georg. Christ. Reinhard / Strelens.) & Joh. Leonclajus (Joh. Christ. Miculinus, Wrät.) de Turcica Pannoniæ subjugatione collocuturi.
- XI. Pannonia querelas repetens, quam Vigor solabitur, & Austria (Elias Hermann / Wratisl.) eriget, comitibus Honore (Christ. Gottlieb Beyer / Lign.) Victoria (Dav. Andr. Tissio, Winzig.) Pace & Justitiâ, qui læto Epinicio Dramati finem imponent.

S. D. G.



Inter obsoleta rubiginosæ vetustatis monumenta ver-
 sabamur, & ad antiqva Philosophorum dogmata attenti, post
 Academiam Platonis, & Epicuri hortos dramatico labore Ju-
 ventuti nostræ exhibitos Porticum Zenonis adire, & Analecta
 Stoicæ Sapientiæ
 tra plausus, repetitus tormen-
 phum canentium è turribus h-
 nova potius, quibusvis Anti-
 rent. Ignavum scilicet, & no-
 orbis Christiani gaudiis ment-
 dicatam; &, dum prudentior
 neficia, & lætissimos Summi
 sese inutilibus forsan dubiæ an-
 set, remotos ab ætate nostrâ S-
 licitè indagare, & rubigine co-
 re, & interea res nostri tempo-
 minum myriades tristi Barba-
 fortitudinis specimina, & novi
 injectaq; cadaverum copiâ cur-
 re oculis negligere? Tantæ
 simi Victoris armorum felicit-
 nostram novis triumphorum
 cisse Antiquorum notabilia po-
 rum campos ad recentia con-
 delectatione observamus, vix
 quod non illustriori sorte re-
 regno, quod hætenus tot L-
 pristinæ servitutis abjecit, ac
 quæso erit à Romanorum ol-
 duraturæ memoriæ impressu
 pus nostrum sibi vindicet? C-
 di senis effigiem, super hydri-
 ptio docet, Danubium signifi-
 quo victoria accelerans, & M-
 (ut prisca superstitione credeb-
 nam in genua procumbent-
 buit, Salutem scilicet Reipubl-
 stro tempore Pannoniæ resti-
 bius, jugo servitutis pressus,
 nonia vi hostium prostrata ja-
 ria multiplex, felici armorum
 re quasi deterso pristinum v-
 Trajani Decii ævum quadrat-
 rior & inferior, ad militare f-
 Magni Victoris nostri signis
 Christo restituta ad priscum
 feliciori omine hodie Maximi Patris & totius Populi consensu Pannoniæ Cu-
 ria JOSEPHI, quam olim per Senatus-Consultum, Ælii constitutæ sunt?
 Sedet in Nummo L. Ælius Cæsar, Parazonio, Imperantium telo, instructus,
 adoptivus Hadriani Filius, Vir comtus, decorus, pulchritudinis regiæ, oris
 veneran-

